2

1542. die 4. Januarij.

# Antonius Vrantius Orator reginae Isabellae. Sigismundo I. Regi Poloniae.

Serenissime rex et domine ac princeps mihi clementissime post humillimam mei ad pedes Sacrae Majestatis Vestrae commendationem.

Exigente Budensi amissione et regni Hungariae periculis, in quae nunc conjecta est. Visum fuit tam Isabellae reginae dominae meae clementissimae quam dominis Prelatis, Baronibus, et Consiliarijs ejus regni ad Consilia simul et auxilia Majestatis Vestrae medio Dominorum Primatum et Consiliariorum regni sui accurrere quod summa semper alias fiducia fecerunt nempe invitati, fretique solito amore ac studijs, quibus semper fuit accommoda Hungariae nescio pereuntis, ne an perditae jam dixerim propensissimis. Nam eo res jam nostrae abierunt, ut nisi mature, et necessaria ope illis succuratur, presertim /: ut alios principes Christianos omittam :/ a Sacra Majestate Vestra, quae nobis vicinitate conjunctissima, est citius omnium opinione supremum aditurae sint periculum et de Hungaria, quasi nec animadversa aversione agetur. Quam

vis

vis itaque Majestas Vestra ex Domi:
nis Consiliarijs suis, ad quos missus
sum omnia copiosè una cum legatiône
mea sit acceptura, nolui tamen omit:
tere, quin et ipse aliquid ad eum scri:
bere potissimum de Serenissime filiæ
suæ reginæ Clementissimæ bona va:
lètudine conjuncta alioqui magno timo:
re ac discrimine una cum ijs omnibus
qui ejus Majestatem ac filium suum
non deferunt. Nam alij manifestè
sciunt se omnia mala ab hoste per:
cepturos non spe dubia ducimur, ut
potè summa Turcæ decepti perfidia
quippe, qui nunc etiam velut inter
Scillam et Charibdim constitutæ va:
rijs fluctibus agitamur, adque im:
pellimur, nec quem portum tutò
teneamus invenimus. Itaque obsecro
Majestatem Vestram nomine tam Sa:
cræ reginæ meæ quam Dominorum
Primatum Hungariæ, et postquã
majestati Vestræ mea legatiô
ne constitit, quid tum Hunga:
ris tum regno illi ac ipsi Regali
Majestati expediat, dignetur omnẽ
curam assumere, quam et pius
Pater liberis naturali jure soli:
tus est, et Christianus princeps
pro Christiano regno debeat, qua

de re

de re alioqui non dubitamus, et
quantum possit, ac liceat subveniat
miseræ Hungariæ, et sacræ filiæ
ac nepoti suo cum Hungaris, una
suis periclitanti non desit, neque
patiatur, tantum hostem, cui nul:
li hoc tempus regnorum fines cu:
piditatem potuerunt explere, vici:
num sibi fieri, ego vero quod ad me
pertinet, humillimè offerro et com:
mendo servitutem meam gratiæ Sa:
cra Majestas Vestra, cui Deus omnia
optima, et felicissima cum diuturna
incolumitate concedat. Cracoviæ
die 4. Januar. Ano 1542.